

XVI. Genuflexio.

Cf.: *Expositio SS. Sacramenti; Genuflexio ante SSmum; Reverent. Ministri in missa priv.; SS. Viaticum* (modus port., decr. Honor. III.)

Omnes fideles ante SS. Sacramentum transeuntes genuflectere tenentur, non obstante quacunque in contrarium consuetudine, quam corruptelam potius et abusum esse declaravit S. R. C. n. 179 die 14. Decbr. 1602.

Canonicos et alios Clericos, sive in choro existant sive per Ecclesiam processionaliter incedant, in elevatione SS. Sacramenti semper genuflectere debere et omnino tollendum abusum celebrandi missas privatas in altari majore, dum in choro cantantur horae canonicæ, in aliis vero altaribus, quae sunt in conspectu chori, idem faciendum, si commode fieri potest. n. 588 die 2. Mart. 1620.

Semper et a quocunque coram SS. Sacramento esse genuflectendum. n. 1523 ad 1 die 26. Novbr. 1644.

Quando SS. Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud Transeuntes cujusvis conditionis et ordinis, seu ad illud accedentes et ab eodem recedentes semper *utrumque* genuflectere debent. n. 1627 ad 6. die 19. Aug. 1651.

Ad dubium: An attento, quod asservatur Venerabile non quidem in tabernaculo super altari collocato sed appenso palmis octo circiter a superficie altaris distante, est genuflectendum, quoties altari sit inclinandum ac si Sacramentum immediate super altare collocatum existeret. n. 2005 die 22. Novbr. 1659.

Ad dubium: An in exposit. SSmi cantatis verbis: *Panem de coelo etc.*

sacerdos ministrans insurgens debeat reiterare genuflectionem, antequam recitet Orationes? S. C. resp.: non esse iterandam. n. 3487 die 2. Aug. 1698; n. 3489 die 6. Septbr. 1698.

In eundo salutabit celebrans se inclinando profunde Episcopo, deinde genuflectat SSmo et procedat in missa. In redeundo genuflectat SSmo, deinde se inclinat Episcopo et procedat, quo debet. n. 3551 ad 1 die 13. Mart. 1700.

Genuflexiones utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamsi fuerit in pyxide patenter expositum. n. 4181 ad 9 die 7. Maii 1746.

(Vd.: *Genuffl. cor. SSmo in pyxide exposito.*)

Romae omnes utriusque sexus transeunte SS. Sacramento e curribus descendere et genibus flexis e terra illud humiliter adorare debent, vd.: Constitutio Clem. V. 9. Jun. 1702.

(Bull. r. t. VIII. p. 244.)

Quando cor. SSmo exposito unico genu flectendum sit, vd.: *Instr. Clem. §. XXX. n. 7.*

In Processionibus, quae fiunt cum SSmo Sacramento, qui incedunt ante illud, in occurso et transitu a latere ejusdem debent facere genuflectionem, dummodo videant praedictum SSmum Sacramentum.

S. R. C. 1. Martii 1781.

In Processionibus Candelarum, Palmarum et similium, quae fiunt intra Ecclesiam sine Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem SS. Corporis Christi in Missa privata; quod si pulsetur et advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi missa

celebratur et deposito SS. Sacramento progrediendum, similiter si aliqui transeant in elevatione calicis.

S. R. C. 1. Mart. 1681.

Urbis.

Fuit dubitatum: quomodo se gerere debeat sacerdos celebraturus, dum transit ante altare, in quo sit publice expositum SSmum Sacramentum, an post factam genuflectionem detecto capite surgens debeat caput tegere, donec ad altare pervenerit, an vero detecto capite iter prosequi ob reverentiam tanti Sacramenti sic publice expositi, cum rubrica missalis romani non videatur loqui hac praecisa adoratione in casu, de quo agitur? Et sacra Congregatio respondit: Servandas esse rubricas missalis romani, quae videntur innuere quod post factam adorationem genibus flexis detecto capite, surgens caput operiat.

Die 4. Septbr. 1638.

(Anal. J. P. 1863 p. 269.)

Ad dubium: Utrum in vespere coram SS. Sacramento celebratis Acolythi accedentes ad altare, ut accipiant sua candelabra vel ea referant, debeant ante SS. Sacramentum expositum utrumque genu flectere vel unicum?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2196.)

XVII. Genuffl. exponentis praes. Episcopo.

Ad dubium: An Canonicus hebdomadarius pluviali indutus ante SSmum Sacramentum solemniter expositum, debeat genuflectere manere ante altare, etiamsi una cum Cappellanis assistentibus terga vertat Episcopo ante idem

altare genuflecto in suo faldistorio sive genuflexorio perquatuor vel quinque passus distanti vel potius debeat permanere genuflectus a cornu Evangelii?

S. eadem R. C. tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis censuit respondendum: „Affirmative quoad primam partem: Negative quoad secundam.“ Et ita declavavit et servari mandavit. n. 3632.

Die 26. Augusti 1702.

XVIII. Immutatio.

Vd.: *SS. Sacram.* (asservat. in eccles. et claustr. Monial. etc. decr.: *Granaten. §: Cum vero etc.*)

XIX. Lampas et oleum ante illud.

Vd.: *Lampas; SS. Sacram.* (modus asservat.); *Tabernacul.; Visit. SS. Sacram.*

Subjiciuntur Capuccini Episcopis quoad tenendam Lampadem accensam ante altare, in quo est tabernaculum SS. Sacramenti: Transgressores enim puniri possunt ab Episcopis auctoritate sibi delegata a Concilio Tridentino in decreto de evitand. in celebrat. Miss. sess. 22.

Nec sufficit tenere lampadem accensam in choro, sed tenenda est ante et prope altare tabernaculi SS. Sacramenti, prout S. C. R. die 22. Aug. 1699. respondit Generali Capuccinorum, qui dubium proposuerat.

Supplex Libellus Rmni Episcopi Bellovacensis SSmo D. N.

Josephus Armandus Gignoux Episcopus Bellovacensis in Gallia ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, quae sequuntur de lampade coram SSmo Sacramento et de oleo, quod in ea comburendum est, exponere confidit.

Ab Ecclesia sancitum est ut coram SS. Eucharistia in tabernaculo recondita „lampades plures vel saltem una diu noctuque colluceat.“ (Rit. Rom. de Sac. Euchar.) Itaque Episcopi in

sua quaque dioecesi providere debent, ut in omnibus ecclesiis asservatur SSmum Sacramentum, adsit lampas et in ea comburatur aliqua materia, quae luminis diuturnitatem praestet.

Rituale quidem Romanum de qualitate hujus materiae tacet et lumen tantum requirit, sed ex aliis documentis mens Ecclesiae conjici videtur. Sic verbi gratia se habet s. Carolus Borromaeus in act. Mediolanen. parte IV. „Lumen lampadum oleo olivae nutriatur nec vero alterius generis adhibeatur, nisi quibus locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum ejus generis haberi potest.“ Et alibi in XI. Syn. Dioeces.: „Usus olei olivarum commendatur ad lumen lampadum in ecclesiis, ubi fieri potest, retineatur et ob consuetudinem inducatur in omni ecclesia.“ Insuper quotiescumque in sacra liturgia mentio fit de oleo, ut in administratione sacramentorum et benedictione, quae fit feria V. in coena domini, agitur de oleo proprie dicto, scilicet quod ex oliva exprimitur. Sed in multis Galliarum regionibus deest oleum olivae et nonnisi magnis sumptibus, quibus ecclesiae nostrae omnino impares sunt, comparari posset. Multae enim apud nos reperiuntur his infaustis temporibus ecclesiae inopia laborantes, quibus vix necessaria ad Sacrum et ad praecipuas anni functiones peragendas suppeditari queant et in quibus impossibile esset SSmum Sacramentum asservari magno equidem animarum pietatisque detrimento, si oleum olivae omnino exigeretur. In his etiam partibus, in quibus facilius invenitur oleum illud olivae, experientia constat paupertatem multarum ecclesiarum impedire, ne illud sibi comparent ad lampadem sanctuarii alendam. Insuper etiamsi facultates ecclesiarum nostrarum suppetere, oleo olivae comburendo alia difficultas non minima oc-

curreret, eo quod oleum istud facile concrescit et toto hyemis tempore lumen nutrire non valeret.

Ad alia ergo olea ex aliis vegetabilibus expressa, ut sunt oleum ex planta, quae latine vocatur *Brassica*, gallice vero *Colza* seu *Navette*, oleum ex *papavere*, gallice *oeillette* etc. Haec quidem olea facilius in regionibus nostris inveniuntur quam oleum olivae, sed nihilominus pluribus incommodis subjacent. Majoris usque adhuc sunt pretii quam ut in omnibus nostris ecclesiis facultatibus sufficientibus saepe destitutis eorum usus recipiatur. In quibusdam vero impensas ad lumen necessarias adhortantibus parochis fideles subministrare non recusant, sed quam multae sunt aliae, in quibus tali subsidio deficiente vel SS. Eucharistia non asservatur vel si propter infirmos et preces serotinas, quae in Adventu praesertim et Quadragesima peraguntur, servanda sit, illam absque lampade asservari tolerandum est! Hujusmodi olea coinquant omnia, quae, attingunt, ita ut nonnisi maxima cura lampades nitidae serventur.

De die in diem difficilius inveniuntur olea expurgata, quae lumen per aliquod tempus foveant. Saepius enim praesertim in parochiis ruralibus, nonnisi adulterata seu vili qualitate olea veniunt, unde accidit ut pluries per diem noctemque extinguatur lumen, pluriesque unaquaque die parochus, si velit honori SS. Eucharistiae pro posse consulere, lampadem rursus accendere debeat. Sed quandoque parochus vel domum habitat sat longe ab ecclesia distantem vel in ministerii functionibus alias versatur, praesertim quum duae ecclesiae, quod saepenumero in hac dioecesi et pluribus aliis evenit, uni eidemque sacerdoti committuntur, et ideo lampadi invigilare nequit. Saepo ergo et praeter sacerdotis voluntatem

sive die sive praesertim noctu lampas extincta remanet coram SSmum Sacramento. In multis ecclesiis tum hujus dioecesis Bellovacensis tum multarum Galliarum dioecesium rem ita se habere, propter olei vitium, experientia quotidiana compertum est. Et si in quibusdam reperiri possunt pia mulieres aut religiosi viri, qui lampadi alendae per diem invigilare satagunt, in multis aliis nullus huic pietatis officio operam dare potest. Insuper in nocte quis invigilabit?

Menti ergo Ecclesiae omnino consentaneum erit investigare, qua ratione haec incommoda vitari possint. Porro a pluribus annis receptus est apud nos usus alterius generis olei, quod plerisque praefatis incommodis immune videtur, olei scilicet non quidem ex vegetabilibus, sed ex *petra*, ex *schisto* expressi et quod *Petroleum* nuncupatur. Minori pretio venit quam olea sive olivae sive de *colza*, *navette*, seu *oeillette* supramemorata et ideo plures ecclesiae his oleis comparandis impares copiam habebunt accendendi lumen coram tabernaculo juxta praescriptum Ecclesiae. Munditia praestat et numquam inquinat quod attingit. Tandem et hoc procul dubio animadvertendum est, lumen hujus olei non deficit, ne quidem post unum vel alterum diem praesertim, si adhibeantur lampades convenientes, quales nunc in pluribus dioecibus reperiuntur.

Sacerdos enim hujus Bellovacensis dioecesis, solertia non minus quam pietate erga SSmum Eucharistiae Sacramentum conspicuus, cum doleret de nimia difficultate lumen in sanctuario diu noctemque cum oleis ordinariis nutriendi, peculiaris generis lampadem invenit, quae istud oleum Petrolei parvo sumptu comburere permittit, lumenque absque ulla cura ad secundum tertiumve diem indesinenter servat.

Decreta authentica. Tom. III.

Si vero objiciatur quandoque periculosum esse istud Petroleum, respondere et absque ulla dubitatione asserere licet adhibito supramemorato lampadis genere nullum periculum subesse nullumque incommodum.

Iam in pluribus ecclesiis tum hujus dioecesis tum aliarum dioecesium istam lampadem parochi experti sunt, jamque experientia constat minimo sumptu haberi coram tabernaculo cum dicto Petrolei oleo lumen clarum, constans, nulli discrimini aut incommodo obnoxium et ideo in omnibus ecclesiis praescriptum Ritualis longe facilius adimpleri posse.

Et si diceretur usum istius olei non ex vegetabilibus sed ex petra expressi a consuetudine Ecclesiae recedere, facile concedenda videretur dispensatio, cum, teste s. Carolo Borromaeo, in usu olei olivae dispensatio admittatur, et cum oleum istud ad honorem SS. Eucharistiae, quae jam lumine non destitueretur, ad pietatem fidelium et sacerdotum consolationem tam multum conferat.

Insuper si in hac quaestione mysticae rationes proponendae essent, illae procul dubio non desent pro oleo ex petra, quae Christum figurat, expresso.

His itaque maximi momenti, ut arbitratur, rationibus fisus, Episcopus orator enixe postulat, ut Sanctitas Vestra declarare dignetur usum olei Petrolei pro lampade sanctuarii non improbari et quidem permitti posse arbitrio Ordinarii. Sanctitatis Vestrae humillimus et addictissimus in Christo filius

† Jos. Ar. Epis. Bellovacensis, Noviomensis et Sylvanectensis. Bellovacis 9. Aprilis 1864.

Supplex libellus Rev. Archiepiscopi Rhodonensis.

Godefridus Saint-Marc, Archiepiscopus Rhodonensis, ad pedes Sanctitatis

Vestrae humiliter provolutus, dubia sequentia proponit.

Quaeritur 1.: *An usus olei lampadis ante SS. Sacramentum lucentis non ex oliva, sed ex viliori materia expressi, v. g. ex nucibus, ex Brassica campestri (Colza) vel ex Petroleo (Petrole) possit retineri sine peccato?*

2. *An usus ille sit licitus, saltem in ecclesiis pauperioribus. Ouare etc. Rhedonis die 11. Martii 1864.*

Epistola Rev. Episcopi Diniensis.

Maria Julianus Meirieu Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Diniensis. Quam libentissime assentit rationibus expositis ab Episcopo Bellovacensi ad effectum obtinendi ut pro lampade SSmi Sacramenti adhiberi possit oleum de petra vulgo nuncupatum petrole.

Lampadem a sacerdote dioecesis Bellovacensis inventam longos per dies ipsemet expertus asserere potest illam minimo sumptu ali, lumen clarum, constans, nulli obnoxium incommodo praebere, ideoque perutilem fore dioecesi Diniensi, in qua maxima pars ecclesiarum, propter nimiam paupertatem, non nisi per breve tempus et magnis sumptibus lampadem oleo munitam alere possunt.

Datum Dinae die 6. Aprilis 1864.

Sequitur Decisio S. C.:

Decretum plurium dioecesium.

Nonnulli Reverendissimi Galliarum Antistites, serio perpentes in multis suarum dioecesium Ecclesiis difficile admodum et non nisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante SSmum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt: utrum in casu, attentis difficultatibus et Ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint

alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo, Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur, attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde exquisito prius Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus ejusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis Eminentissimi autem et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt: „Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus.“

Die 9. Julii 1864.

Facta postmodum de praemissis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. per infrascriptum Secretarium fidei relatione Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

Die 14. iisdem Mense et Anno.

C. Episcopus Portuen. et s. Rufinae, Card. Patrizi, S. R. C. Praef.

(L. † S.)

D. Bartolini,
S. R. C. Secretarius.

XX. Lampades duae suntne retinendae?

Sabinen.

Astulphus Galloppi altare majus dictum B. M. Virgini Lauretanae marmoribus decenter ornatum a fundamentis extruxit in Ecclesia Patrum Minorum

Conventualium s. Francisci Terrae Tarani in Sabinis juxta concessionem situs a dictis Patribus eidem Astulpho factam anno 1697. Duo fuerunt pacta mox dictam concessionem concomitantia, nimirum primum Patres concedentes respiciens sic habet: *Che in detto Altare in perpetuo vi debba stare il Tabernaculo del SSmo Sacramento, ed in esso li Padri di detto Conventos possino comunicare, e faroi tutte le funzioni, che li pareanno; alterumque ad Gallupium pertinens sequens est: che falecito al detto Signor Galloppi, e suoi avanti l'Altare teneri la Lampade, e faroi la Sepoltura.*

Constructo altari, Galluppius, quatenus vivens illud non dotavisset, ex testamento eidem Legati et Dotis titulo reliquit possessionem suam in Vocabulo il Cagnano, onere Patribus indicto manutenendi Lampadem accensam ante dictum altare, nec non tria celebrandi Sacra mense quolibet in perpetuum.

Defuncto Testatore anno 1713 illius Vidua Agatha Baldosi uti Mater, Tutrix testamentaria Caroli et Raymundi Galloppi ejus ac praedefuncti Viri filiorum eodem anno 1713 tradidit Patribus antedictam possessionem il Cagnano promisitque, quotannis et in perpetuum tradere Patribus mensuam olei, quae in dicta Terra Tarani nuncupatur *in cugno doglio* pro supradictae Lampadis manutenzione et in correspectivitate hujus traditionis praedii et promissionis olei Patres sese obstrinxerunt, omnia in Legato ac dote contenta adimplere et exequi.

Ex dictis Astulphi filii ultimus fuit Raymundus, qui haeredem instituit Uxorem suam Theresiam Catenacci. Haec deficiens in annua olei praestatione judicialiter a Patribus conventa fuit coram A. C., qui anno 1772 suam protulit sententiam favore Patrum su-

per manutenzione in possessione juris exigendi annuam praestationem olei pro manutenzione Lampadis ante altare majus familiae Galloppi situm in illorum Ecclesia. Huic litifavore Patrum renunciavit Theresia, oleique quantitatem usque tunc non praestitam Patribus consignavit.

Animadvertens modo Theresia, quod Patres propriam dumtaxat accensam retineant Lampadem ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, quod posuerant in tabernaculo sui altaris, ea penitus neglecta Lampade, quam iidem Patres vi obligationis contractae cum Astulpho Galloppi ejusque filii accensam retinere debent ante altare majus tamquam dictum Beate Mariae Virgini Lauretanae, preces proinde porrexit huic Sacrae Congregationi postulans, ut compellantur Patres ad alteram retinendam accensam Lampadem ante dictum altare praeter illam, quam iidem propriis sumptibus manutenere debent ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in eodem altari positum, nec non ut restituant eam olei quantitatem, quam a die obitus testatoris, ab anno scilicet 1713 usque ad hodierna tempora perceperunt absque Lampadis accensione, ad hoc ut per totidem annos in futurum decurrendos tertia retineatur accensa Lampas ante dictum altare.

Eminentissimus Cardinalis Sabinensis Episcopus retulit, quae supra narrata fuerunt, ab ejus tamen voto ferendo se abstinuit, solummodo putans *dictam instantiam remittendam esse ad Iudicem coram quo:*

Jura erunt ab utraque Parte circumferenda; quibus perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Patres Minores Conventuales Terrae Tarani praeter Lampadem accensam ab ipsis retinendam ante Augustissimum Sacramentum teneantur aliam Lampadem accensam re-*

tinere pro adimplemento oneris ab ipsis assumpti in executionem Legati pii, de quo agitur in casu? Et quatenus affirmative,

II. An et quomodo sit promovendum pro praeterito in casu?

S. C. resp. ad I: non teneri PP. Conventuales retinere duas Lampades accensas; ad II: provisum in primo.

Die 29. Apr. et 9. Junii 1780.

XXI. Miraculosum.

Vd.: SS. Sacr. Euch. (asserv. in eccles. etc. monialium t. III. p. 499—503.)

Eugenius PP. IV.

Philippo Bono Burgundiae ac Brabantiae Duci.

Singularis devotionis zelus, quem ad fidem catholicam et Sacramentum Passionis D. N. J. Chr. gerere videmus, merito nos inducit, ut ea tibi concedamus, quae devotionem tuam et aliorum christifidelium augere valeant.

Tuis igitur in hac parte devotionis supplicationibus annuentes tibi hostiam quandam sub imagine Salvatoris in throno sedentis, mirabile Sacramentum D. Corporis multis in locis a fesana cujusdam feritate gladii ictibus perforatam et ex eo sanguine respersam in locis praefatis, quae in sacrario nostro erat recondita, tuae piaevotioni concedimus et donamus volentes et mandantes tibi, ut eam in aliqua ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri cum eo honore et reverentia recondas futuris temporibus venerandam, prout tanti Sacramenti majestas et magnitudo requirit.

Datum Romae die 17. Septbr. 1431.

(Bull. r. t. IX. p. 236. Ed. Luxbg.)

Vd.: SS. Sacr. Euch. (officium propt. miracula SSmi, decr.: *Lingonen, Divisionen*).

XXII. Officium et Missa fer. V.

Cf.: Missa, vot. de SSmo.

Carmeliti discalceati feriis quintis festo novem Lectionum non impeditis Missam de SS. Sacr. celebrare consueverunt. Petunt, ut possint eodem die Officium sub ritu duplici et Missam sol. celebrare. S. R. C. resp.: „Nihil de novo concedendum; eo tamen privilegio, quod s. M. Sixtus V. indulsit, utantur, eo tamen modo, ut jura permittunt. n. 98 die 30. Septbr. 1596.

Stante concessione Pii V. *), quod fratres Minores possint in qualibet fer. V. extra Quadrag. et Advent. per annum festo novem Lectionum non impedita recitare Officium Corp. Chr., debent recitare ut in die et Missa de communi seu votiva. n. 2284 ad 3 die 12. Julii 1664.

Utrum in fer. V, ubi Officium SSmi ex privilegio dici potest, Festum translatum fieri possit? vd. infra decr. n. 2305, 4394, 4102.

Privilegium Cathedrali Ecclesiae Mexicanae concessum recitandi Officium de SSmo fer. V. non impedita cujusunque hebdomadae comprehendit solos Clericos choro addictos et ministros illius Ecclesiae. n. 2844 ad 4 die 20. Nov. 1677.

Ad petitionem Ordinis Carmelitarum Hispan. pro gratia recitandi Officium de SSmo etiam in *Quadragesima*, ut recitare valeant semel in hebdomada per annum die non impedito festo 9 ll.? S. C. resp.: *Negative*. n. 4401 ad 12. et 13. die 16. Febr. 1781.

Per decretum n. 2943 ad 5. die 1. Mart. 1681 **) extenditur eadem prohibitio etiam ad ferias quintas in *Ad-*

*) Vd.: Breve „Exponi Nobis“ PP. Pii V. diei 8. Jan. 1568 in Bull. mag. rom. tom. II. p. 263 ed. Luxemb.

**) Vd.: p. 600.

ventu, Quadrag., quatuor tempor. et Vigiliis, quod ab omnibus habentibus facultatem (recitandi Officium votivum SSmi) observandum est.

Concessio recitationis Officii SS. Sacram. quolibet die Jovis non impedito intelligenda est extra Advent., Quadrag., quat. temp. et Vigil., ac tam a Saecularibus quam a Regularibus servari debet, prout alias decrevit S. R. C. n. 3163 ad 1 die 18. Junii 1689; n. 3263 ad 2 die 19. Jan. 1692.

Neque ex decretis alicujus Capituli definitorii vel provincialis vel generalis, neque ex praetensa participatione privilegiorum aliorum regionum licet provinciae Lombardiae vel cuicunque Religioni aut Regulari recitare Officia SS. Sacram. in quacunque feria V. vel hujusmodi absque expressa et speciali Sedis ap. indulto; et qui absque eo ausi fuerint recitare, non satisfaciant praecepto de recitando divino Officio. n. 3263 ad 1 die 19. Jan. 1692.

Exposito per Collegiales, Cappellanos aliosque ministros Collegii Augustissimi Sacramenti civitatis Valentinae ex lege praescripta in erectione dicti Collegii a Ven. Joanne de Ribera Archiepiscopo Valentino illius Fundatore debere qualibet quinta Feria, in qua non concurrat Festum primae vel secundae classis, recitari in Choro solemniter cantu primam, tertiam, sextam, nonam, vespere et completorium de SS. Sacramento tanta cum pausa et gravitate, ut septem horarum spatium in absolvendis horis praedictis insumatur, nonnullosque sibi scrupulum injecisse: an deberent dictis feriis recitare etiam Officium currens? pro securitate conscientiae supplicarunt sub die 18. Junii 1695 S. R. C., (ea in Congregatione simpliciter rescriptum fuit: Archiepiscopo pro meliori informatione, juxta instructionem fa-

ciendam per D. Promotorem Fidei et Secretarium) ut ipsos ad illud non teneri declarare dignaretur; verum meliore Archiepiscopo Informatione tunc expedita eaque modo ab Eminent. et Rev. Dom. Card. Colloredo una cum supplici Oratorum instantia relata, S. eadem R. C. oratores dictis quintis feriis etiam ad Officium currens teneri censuit et declaravit. n. 3414 die 16. Martii 1697.

Religiosis Ordinis Min. s. Francisci de Paula Provinciae Majoricen. non licere recitare Off. de SSmo qualibet fer. V. virtute participationis privilegiorum aliarum Religionum, quibus hoc Officium concessum fuit. n. 3528 die 12. Septbr. 1699.

Stantibus decretis pro Officio Corp. Chr. in omnibus fer. quintis per annum (praeterquam in Adventu, Quadragesima et Vigiliis) Officio 9 ll. etiam translato non impeditis fit ritu semid. Officium. Idem si occurrat semid. ad libitum, poterit de illo fieri, si semel saltem in mense recitatum sit de hac commemoratione, alias Officium fiat de hac commemoratione, relicto prorsus Officio ad libitum (24. Jan. 1682 *) Quae ritur igitur: si in aliquo mense omnes feriae quintae impeditae fuerint a Sanctis 9 ll. (dummodo non essent ad libitum) Commemoratio Corp. Chr. in hoc casu relinquenda erit, secundum supradictum decretum, sed si occurrat etiam Officium translatum sive dupl. sive semidupl., eritne faciendum de dicta commemoratione, vel potius hac omissa recitandum Officium de Sancto translato? S. C. resp.: In fer. 5. occurrente quocunque Officio 9 ll. etiam translato, omissa recitatione Officii SSmi, faciendum sit Officium ea die occurrens, etiam si dies sit infra octavam. n. 4102 ad 3 die 1. Oct. 1740.

*) Vd.: Sancti ad libit. (decr. n. 2976.)

Officium SSmi, quod recitatur ex privileg. in fer. V. non impedita, cum currenti semid. dividit Vesperas a capitulo. n. 4191 die 1. Julii 1747.

Officium de SSmo singulis feriis V. S. C. recitandum concessit Ord. Religiosorum B. V. M. animarum suffragatricis sub ritu semid. exceptis tamen tempor. Adv., Quadrag., Vigiliarum sive cum jejunio sive absque, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum Officium de festo dupl. aut semid. translato, contrariis non obstantibus. n. 4394 die 18. Debr. 1779.

Inter Officia nuper concessa omnibus Foederatae Americae Septentrionalibus Dioecesisibus sunt Officia tum SSmi Sacramenti in Feriis V., tum Conceptionis B. M. V. in Sabbatis per Annum. Porro haec eadem Officia jamdudum a. s. m. Pio Papa VI. concessa fuerunt Baltimorensi et quibusdam aliis Dioecesisibus cum eo privilegio, ut iis Presbyteris, qui in praedictis Feriis iter aliquod suscipere deberent pro visitandis Catholicis, quorum spiritualis cura ipsis incumbit, liceret ea recitare et Missam respectivam celebrare etiam in Feriis Ad., quatuor Temp. et Quadrag. Quaeritur: an recenti concessione supramemoratum privilegium revocatum sublatumque fuerit vel adhuc perseveret, et posito quod perseveret, utrum ad omnes Foederatae Americae Septentrionalis Dioecesises extendatur et pertineat?

Emus itaque ac Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. rescribi mandavit:

Praecedens Indultum manet in suo robore nec extendi potest sine nova concessione. n. 4928 ad 7. sine Dato. (Esse videtur dies 22. Maii 1841.)

Ad relationem: Cum ex privilegio apost. Religio Servorum valeat recitare

Officium SS. Sacramenti qualibet fer. V. et illud B. V. M. qualibet die Sabbati sub ritu semidupl., dummodo dictae dies non sunt impeditae Officio novem Lectionum, et exceptis Adventu, Quadragesima et Vigiliis, et cum multoties eveniat, quod sit remittendum Officium alicujus Sancti aliisque de causis translato; ideoque petitur declaratio: an dictis diebus dicendum sit Officium translato vel potius SS. Sacramenti et B. V. M. ex dicto privilegio? S. C. resp.: Translatum ulterius protrahi et Officium fieri juxta privilegium. n. 2305 die 22. Nov. 1664.

Vd. inf. decr. dd. 20. Mart. 1706 ad 2.

Ad dubium: An Clerici, qui obligantur ad Horas canonicas, teneantur recitare Officia votiva v. g. SSmi Sacramenti, quod ex concessione s. me. Clementis Papae XI. fieri potest Feria quinta non impedita etc., et Officium Conceptionis Beatae Mariae Virginis Sabbato non impedito etc., si jussu Ordinarii apponantur in Calendario his diebus non impeditis? Quatenus negative, an tenentur se conformare huic Officio, si sit duplex, ut Officium Conceptionis, pro Missa et colore paramentorum, sive illud recitaverint sive non? S. C. resp.: Si constet de Indulto speciali Apostolico affirmative ad primam partem, ad secundam: juxta alia sancta posse sed non teneri.

Die 23. Maii 1835. n. 4746 ad 10.

Urbis et Orbis.

Cum multis nationibus concessum sit a Sede ap., ut semel vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus celebrentur varia officia per annum v. g. de SS. Sacram. in diebus non impeditis aliquo festo dupl. vel semid., an liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus Quadrag., Adventus etc.?

S. C. resp.: *Negative et hujusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrag., quatuor. temp.,*

vigiliarum, sive cum jejunio sive absque, nec in fer. 2. Rogationum, nec in illa fer., in qua secundum rubricas reponendum sit Officium Dominicae. Die 20. Mart. 1706 ad 1.

Ad dub.: An dies impeditus festo dupl. vel sem. pro off. vot. de SSmo recitando fer. V. intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est officium de festo dupl. vel sem. transl., quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a S. R. C.: Quod scilicet festum dupl. vel sem. etiam transl. necnon dies octavae sit dies impeditus respectu talis Officii? S. C. resp.: Affirmative.

Die 20. Mart. 1706 ad 2.

(Bull. r. t. VIII. p. 434.)

Quod fratres Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia semper possint extra tempus quadragesima et adventus, in feria quinta, in qua non occurrit aliquod festum aut ejus octava, recitare officium SSmi Corporis Christi.

Pius Papa V. dilectis filiis, ministro generali et universis fratribus Ordinis Minorum de Observantia.

§. 1. Exponi nobis nuper fecistis quod vos mente recolentes Dominum nostrum Jesum Christum transiturum de hoc mundo ad Patrem, in ultima coena, qua Pascha cum discipulis manducavit, admirabile Sacramentum pretiosissimi Corporis et Sanguinis sui instituisse, ut universi christicolae illud tamquam suae caritatis, quam in cruce ostendit, memoriale recolent, pro ipsius Dominici Corporis solemniori et specialiori veneratione desideratis qualibet quinta feria officium Christi Corporis, prout in Breviario Romano ipsius solemnitate die habetur, recitare, si vobis ad id Sedis Apostolicae suffragaretur auctoritas. Quare nobis humiliter supplicare fecistis, ut vobis in praemissis

opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos, pium hoc vestrum desiderium plurimum in Domino collaudantes ac hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet ubilibet existentibus, ut qualibet quinta feria, quae tamen quadragesima et adventus Domini non fuerit, aut in qua aliquod festum seu octava non inciderit, omisso occurrenti officio, illud de Corpore Christi, juxta illud quod in praesenti Breviario Romano in ejus solemnitate die recitandum proponitur, recitare libere et licite valeatis, ita tamen quod illud sic recitando debito, ad quod adstricti estis, in omnibus et per omnia perinde satisfacere censeamini ac si officium pro tempore currens et vobis a Romana Ecclesia propositum recitaretis; nec propterea, illo recitato, ad occurrentis hujusmodi vel alicuius alterius officii recitationem teneamini, nec ad id a quoquam inviti cogi aut compelli possitis, minusve aliquas sententias, censuras et poenas, quomodolibet latas, incurrentes, auctoritate apostolica per praesentes indulgemus.

§. 3. Districtius inhibentes quibusvis locorum Ordinariis et quibusvis aliis, quacumque auctoritate fulgentibus vel cujuscumque gradus existentibus, ne vos et vestrum quemlibet, quovis praetextu, super praemissis, quomodolibet molestare perturbare aut inquietare, sub excommunicationis sententia aliisque arbitrio nostro moderandis et infligendis poenis, audeant vel praesumant.

Datum Romae die 8. Jan. 1568.

(Bull. r. t. VII. p. 647. Ed. Aug. Taur.)

Clemens PP. XIV.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Decanus et Canonici Capituli paroch. et collegiatae Ecclesiae sub